Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Liber Hester: prologus

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

meis. in die iudicii visitabit illos.
Dabit enim ignem et vermes in carnes
eorum ut urantur et sentiant usque in sempi
ternum. Et factum est post hec omnis populus post
victoriam venit in ierusalem adorare
dominum. Et mox ut purificati sunt obtu
lerunt omnes holocausta et vota et re
promissiones suas. Porro iudith u
niversa vasa bellica holofernis que de
dit illi populus et conopeum quod ipsa sustu
lerat in anathema oblivionis. Erat
autem populus iocundus secundum faciem sanctorum et
per tres menses gaudium celebritatis
est huius victorie cum iudith. Post dies
autem illos unusquisque rediit in sua.
et iudith magnificata est in bethulia
et preclarior erat universe terre israel. E
rat etiam virtuti castitatis adiuncta.
ita ut non cognosceret virum omnibus diebus
vite sue ex quo defunctus est manas
ses vir eius. Erat autem diebus festis pro
cedens cum magna gloria. Mansit
autem in domo viri sui annos c.v. et di
misit abram suam liberam. Et defuncta
est ac sepulta cum viro suo in bethuli
a. Luxitque illam omnis populus diebus
vii. In omni autem spatio vite eius non fuit
qui perturbaret israel et post mortem eius
annis multis. Dies autem victorie huius
festivitatis ab hebreis in numero dierum
sanctorum accipitur et colitur a iudeis ex illo
tempore usque in presentem diem. Explicit
liber Iudith. Incipit prefatio in librum Hester.

Librum hester
variis trans
latoribus con
stat esse viti
atum. quem
ego de archi
vis hebreorum libris relevans verbum e
verbo expressius transtuli. Quem librum
editio vulgata laciniosis hinc inde
verborum funibus trahit. addens ea que
ex tempore dici poterant et audiri.
sicut solitum est scolaribus discipli
nis sumpto themate excogitare.
quibus verbis uti potuit qui iniuriam
passus est. vel ille qui iniuriam fecit.
Vos autem o paula et eustochium quoniam
et bibliothecas hebreorum studuistis
intrare. et interpretum certamina com
probastis. tenentes hester hebraicum li
brum per singula verba nostram translati
onem ut possitis agnoscere. me nichil aspicite +
etiam augmentasse. addendo sed fide
li testimonio simpliciter sicut in hebreo
habetur. hystoriam hebraicam lati
ne lingue tradidisse. Nec affectamus
laudes hominum. nec vituperationes
expavescimus. Deo enim placere cu
rantes. minas hominum penitus non ti
memus. quoniam dissipat deus ossa eorum qui
hominibus placere desiderant. et secundum apo
stolum qui huiusmodi sunt. servi christi esse
non possunt. Rursum in libro hester
alfabetum ex minio usque ad theta
litteram fecimus diversis in locis vo
lentes scilicet hec. interpretum ordi
nem per hoc insinuare studioso le
ctori. Nos enim iuxta morem he
breorum ordinem persequi etiam in
lxx editione maluimus. Explicit
prologus. Incipit liber hester.

In diebus assueri qui regnavit
ab india usque ethiopiam
super c.xxvii. provincias. quando
sedit in solio regni sui. su
sa civitas regni eius exordium

fuit. Tertio igitur anno imperii sui
fecit grande convivium cunctis prin
cipibus ⁊ pueris suis. fortissimis p
sarum ⁊ medorum inclitis ⁊ prefectis prov
inciarum coram se. ut ostenderet divici
as glorie regni sui. ac magnitu
dinem atque iactantiam potentie
sue multo tempore. c. videlicet ⁊ octogin
ta diebus. Cumque implerentur dies
convivii. invitavit omnem populum qui in
ventus est susis a maximo usque
ad minimum ⁊ vii. diebus iussit con
vivium preparari in vestibulo horti ⁊
nemoris. quod regio cultu ⁊ manu
consitum erat. Et pendebant ex omni
parte tentoria aerii coloris ⁊ carpa
sini ⁊ iacinctini sustentata funi
bus bissinis atque purpureis. qui ebur
neis circulis inserti erant ⁊ colump
nis marmoreis fulciebantur. Lec
tuli quoque aurei ⁊ argentei super pavi
mentum smaragdino ⁊ pario stra
tum lapide dispositi erant. quod mi
ra varietate pictura decorabat.
Bibebant autem qui invitati erant
aureis poculis ⁊ aliis atque aliis va
sis cibi inferebantur. Vinum quoque ut
magnificentia regia dignum erat
habundans ⁊ precipuum ponebatur.
Nec erat qui nolentes cogeret ad bi
bendum. sed sic rex statuerat preponens
mensis singulos de principibus suis.
ut sumeret unusquisque quod vellet. Va
sti quoque regina fecit convivium femi
narum in palatio. ubi rex assuerus
manere consueverat. Itaque die sep
timo cum esset rex hylarior ⁊ post
nimiam potationem incaluisset me
ro. precepit mauman ⁊ bazatan

et arbona ⁊ bagata ⁊ abgata ⁊ za
rath ⁊ charchas. vii. eunuchis qui
in conspectu eius ministrabant. ut in
troducerent reginam vasti coram rege
posito super caput eius dyademate
ut ostenderet cunctis populis ⁊ principibus
illius pulchritudinem. Erat enim pulchra
valde. Que renuit ⁊ ad regis imperium
quod per eunuchos mandaverat venire
contempsit. Unde iratus rex ⁊ nimi
o furore succensus interrogavit sapi
entes. qui ex more regio semper ei
aderant ⁊ illorum faciebat cuncta con
silio. scientium leges ac iura ma
iorum. Erant autem primi ⁊ proximi char
sena ⁊ sethar ⁊ admatha ⁊ thar
sis ⁊ mares ⁊ marsana ⁊ mamu
cha. vii. duces persarum atque medo
rum. qui videbant faciem regis ⁊
primi post eum residere soliti erant. cui
sententie vasti regina subiaceret
que assueri regis imperium quod per eunu
chos mandaverat facere noluisset. Res
ponditque mamucha audiente rege
atque principibus. Non solum regem
lesit regina vasti. sed omnes principes
⁊ populos qui sunt in cunctis provinciis re
gis assueri. Egredietur enim sermo
regine vasti ad omnes mulieres. ut
contempnant viros suos ⁊ dicant.
Rex assuerus iussit ut regina vasthi
intraret ad eum ⁊ illa noluit. atque
hoc exemplo omnes principum coniuges
persarum atque medorum parvipendent
imperia virorum. Unde regis iusta est
indignatio. Et enim si tibi placet egre
diatur edictum a facie tua ⁊ scri
batur iuxta legem persarum ⁊ medorum
quam preteriri illicitum est ut nequaquam

ultra Vasthi regina ingrediatur ad
regem, sed regnum illius altera que
melior est illa accipiat. Et hoc in omne
quod latissimum est provinciarum tuarum
divulgetur imperium, ut cuncte u-
xores tam maiorum quam minorum defe-
rant maritis suis. Placuit consilium
eius regi et cunctis principibus, fecitque
rex iuxta consilium Mamuche. Et misit
epistolas ad universas provincias reg-
ni sui, ut queque gens audire et le-
gere poterat diversis linguis et litteris,
esse viros principes ac maiores in do-
mibus suis, et hoc per cunctos populos
divulgari.

II

His ita gestis, postquam regis As-
sueri deferbuerat indignatio, re-
cordatus est Vasti, et que fecisset, vel que
passa fuisset. Dixeruntque pueri regis
ac ministri eius: Querantur regi pu-
elle virgines ac speciose, et mitta-
tur qui considerent per universas provin-
cias puellas speciosas et virgines
et adducant eas in civitatem Susan
et tradant in domum feminarum sub ma-
nu Egei eunuchi, qui est prepositus
et custos mulierum regiarum, et accipi-
ant mundum muliebrem et cetera ad u-
sus necessaria. Et quecumque inter omnes oculis
regis placuerit, ipsa regnet pro Vasti.
Placuit sermo regi, et ita ut sug-
gesserant iussit fieri. Erat vir Iude-
us in Susis civitate, vocabulo Mar-
docheus, filius Iair, filii Semei, filii
Cys, de stirpe Iemini, qui translatus
fuerat de Ierusalem eo tempore quo Ie-
choniam regem Iuda Nabuchodonosor rex
Babylonis transtulerat. Qui fuit
nutricius filie fratris sui Edisse, que altero
nomine Hester vocabatur, et utrum-
que parentem amiserat; pulchra nimis et
decora facie. Mortuisque patre eius
et matre, Mardocheus sibi eam
adoptavit in filiam. Cumque perc-
rebuisset regis imperium, et iuxta manda-
ta illius multe virgines pulchre
adducerentur Susan, et Egeo traderentur
eunucho, Hester quoque inter ceteras puel-
las ei tradita est ut servaretur in nu-
mero feminarum. Que placuit ei, et
invenit gratiam in conspectu illius. Ut
acceleraret mundum muliebrem, et traderet
ei partes suas, et vii puellas specio-
sissimas de domo regis, et tam ipsam
quam pedisequas eius ornaret atque
excoleret. Que noluit indicare ei po-
pulum et patriam suam. Mardocheus enim pre-
ceperat ut de hac re omnino reticeret. Qui
deambulabat cotidie ante vestibu-
lum domus in qua electe virgines serva-
bantur, curam agens salutis Hester,
et scire volens quid ei accideret. Cum autem
venisset tempus singularum per ordinem
puellarum, ut intrarent ad regem, ex-
pletis omnibus que ad cultum muliebrem
pertinebant, mensis duodecimus verte-
batur, ita dumtaxat ut vi mensibus
oleo ungerentur myrtino, et aliis vi
quibusdam pigmentis et aromatibus
uterentur. Ingredientesque ad regem
quicquid postulassent ad ornatum
pertinens accipiebant, et ut eis pla-
cuerat composite de triclinio feminarum
ad regis cubiculum transiebant. Et que
intraverat vespere egrediebatur
mane, atque inde in secundas edes dedu-
cebatur, que sub manu Salagazi eu-
nuchi erant, qui concubinis regis

presidebat. Nec habebat potestatem ad
regem ultra redeundi nisi voluisset
rex. et eam venire iussisset ex nomine.
Evoluto autem tempore per ordinem instabat
dies quo hester filia abiahel fratris
mardochei. quam sibi adoptaverat in
filiam intrare deberet ad regem. Que
non quesivit muliebrem cultum. sed quecumque
voluit egeus eunuchus custos virgi-
num. hec ei ad ornatum dedit. Erat enim
formosa valde. et incredibili pulchri-
tudine omnium oculis gratiosa et ama-
bilis videbatur. Ducta est itaque ad cubi-
culum regis assueri mense decimo
qui vocatur thebeth. septimo anno
regni eius. Et amavit eam rex
plus quam omnes mulieres. habuitque
gratiam et misericordiam coram eo super omnes
mulieres. Et posuit dyadema re-
gni in capite eius. fecitque eam regnare
in loco vasti. Et iussit convivium
preparari permagnificum cunctis principi-
bus et servis suis pro coniunctione et
nuptiis hester. Et dedit requiem
universis provinciis. ac dona largi-
tus est iuxta magnificentiam princi-
palem. Cumque et secundo quererentur vir-
gines. et congregarentur. mardocheus
manebat ad regis ianuam. Necdum
prodiderat hester patriam et populum
suum. iuxta mandatum eius. Quicquid
enim ille precipiebat observabat
hester. et ita cuncta faciebat ut eo
tempore solita erat quo eam parvulam
nutriebat. Eo igitur tempore quo
mardocheus ad regis ianuam mo-
rabatur. indignati sunt bagathan et
thares duo eunuchi regis qui iani-
tores erant. et in primo palatii limi-
ne presidebant. volueruntque insurgere in
regem. et occidere eum. Quod mardocheum
non latuit. Statimque nuntiavit re-
gine hester. et illa regi ex nomine
mardochei. qui ad se rem detule-
rat. Quesitum est et inventum. et appensus
uterque eorum in patibulo. Mandatumque
hystoriis et annalibus traditum coram
Post hec rex III rege.
assuerus exaltavit aman
filium amadathi. qui erat de stirpe
agag. et posuit solium eius super omnes
principes quos habebat. Cunctique ser-
vi regis qui in foribus palatii versa-
bantur flectebant genua. et adora-
bant aman. Sic enim eis preceperat
imperator. Solus mardocheus non
flectebat genu. neque adorabat eum.
Cui dixerunt regis pueri. qui ad fores
palatii residebant. Cur preter ceteros
non observas mandata regis. Cum-
que hoc crebrius dicerent. et ille nollet
audire. nuntiaverunt aman. scire
cupientes. utrum perseveraret in
sententia. Dixerat enim eis se esse iu-
deum. Quod cum audisset aman
et experimento probasset quod mardocheus
non sibi flecteret genu. nec se ado-
raret. iratus est valde. Et pro nichilo
duxit in unum mardocheum mittere
manus suas. audierat enim quod gentis
esset iudee. magisque voluit omnem
iudeorum qui erant in regno assue-
ri perdere nationem. Mense primo
cuius vocabulum est nisan. anno xii°.
regni assueri. missa est sors in urnam
que hebraice dicitur phur. coram aman.
quo die et quo mense gens iudeorum
deberet interfici. Et exiit mensis

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

duodecimum qui vocatur adar. Dixitque
aman regi assuero. Est populus per omnes
provincias regni tui dispersus, et a se
mutuo separatus, novis utens le-
gibus et cerimoniis, insuper et regis scita
contempnens. Et optime nosti quod non
expediat regno tuo ut insolescat
per licentiam. Si tibi placet decerne
ut pereat, et x milia talentorum ap-
pendam archariis gaze tue. Tulit
ergo rex anulum quo utebatur de ma-
nu sua, et dedit eum aman filio a-
madathi de progenie agag hosti iu-
deorum. Dixitque ad eum. Argentum quod
polliceris tuum sit, de populo age quod tibi
placet. Vocatique sunt scribe regis
mense primo nisan, tertiadecima die
eiusdem mensis, et scriptum est ut iusserat
aman ad omnes satrapas regis et
iudices provinciarum diversarumque gentium,
ut quaeque gens legere poterat et audire
pro varietate linguarum ex nomine regis
assueri. Et littere ipsius signate anu-
lo misse sunt per cursores regis ad
universas provincias suas, ut occide-
rent atque delerent omnes iudeos a
puero usque ad senem, parvulos et mu-
lieres uno die, hoc est tertiodecimo
die mensis duodecimi qui vocatur
adar, et bona eorum diriperent. Summa autem
epistolarum hec fuit, ut omnes provincie
scirent et pararent se ad predictam di-
em. Festinabantque cursores qui
missi erant explere regis imperium.
Statimque in susis pependit edictum,
rege et aman celebrante convivium, et
cunctis iudeis qui in urbe erant flentibus.

IIII

Que cum audisset mar-
docheus, scidit vestimenta sua

et indutus est sacco, spargens cinerem ca-
piti, et in platea medie civitatis voce
magna clamabat, ostendens ama-
ritudinem animi sui, et hoc eiulatu
usque ad fores palatii gradiens. Non
enim erat licitum indutum sacco au-
lam regis intrare. In omnibus quoque provinciis
oppidis ac locis ad que crudele regis
dogma pervenerat, planctus ingens
erat apud iudeos, ieiunium, ulula-
tus et fletus, sacco et cinere pro strato
utentibus. Ingresse sunt autem puelle he-
ster et eunuchi, nuntiaveruntque ei. Quod
audiens consternata est. Et misit vestem
ut ablato sacco induerent eum. Quam
accipere noluit. Accitoque athac eu-
nucho quem rex ei ministrum dederat,
precepit ut iret ad mardocheum, et di-
sceret ab illo cur hoc faceret. Egressusque
athac ivit ad mardocheum stantem
in platea civitatis ante ostium palatii.
Qui indicavit ei omnia que acciderant, quomodo a-
man promisisset ut in thesauros regis
pro iudeorum nece inferret argentum. Exem-
plar quoque edicti quod pendebat in susis
dedit ei, ut regine ostenderet, et moneret
eam ut intraret ad regem, et deprecaretur
eum pro populo suo. Regressus athac
nuntiavit hester omnia que mardocheus
dixerat. Que respondit ei, et iussit ut di-
ceret mardocheo. Omnes servi regis et
cuncte que sub dicione eius sunt norunt
provincie, quod sive vir sive mulier non
vocatus interius atrium regis intraverit,
absque ulla cunctatione statim interfici-
atur, nisi forte rex auream virgam ad
eum tetenderit pro signo clementie,
atque ita possit vivere. Ego igitur quomodo
ad regem intrare potero, qui xxx iam diebus

non sum uocata ad eum. Quod cum audis
set mardocheus: rursum mandauit
hester dicens. Ne putes quod animam
tuam tantum liberes: quia in domo regis es pre
cunctis iudeis. Si enim nunc silueris
per aliam occasionem liberabuntur
iudei: et tu et domus patris tui peribi
tis. Et quis nouit utrum idcirco ad
regnum ueneris: ut in tali tempore pa
rareris. Rursumque hester hec mardocheo
uerba mandauit. Vade et congrega omnes
iudeos quos in susis reperis: et ora
te pro me. Non comedatis et non bibatis
tribus diebus ac noctibus: et ego cum ancillis
meis similiter ieiunabo. Et tunc ingre
diar ad regem contra legem faciens non
uocata: tradens que me morti et periculo.
Iuit itaque mardocheus: et fecit omnia
que ei hester preceperat. V
Die autem tercio induta est hester re
galibus uestimentis: et stetit in atrio
domus regie quod erat interius contra basi
licam regis. At ille sedebat super so
lium suum in consistorio palatii contra ho
stium domus. Cumque uidisset hester regi
nam stantem: placuit oculis eius: et exten
dit contra eam uirgam auream quam tenebat
manu. Que accedens osculata est sum
mitatem uirge eius. Dixitque ad eam rex.
Quid uis hester regina? Que est peticio
tua? Etiam si dimidiam regni mei parte
petieris: dabitur tibi. At illa respondit. Si re
gi placet: obsecro ut uenias ad me
hodie et aman tecum ad conuiuium quod pa
raui. Statimque rex. Vocate inquit cito
aman: ut hester obediat uoluntati.
Venerunt itaque rex et aman ad conui
uium quod eis regina parauerat. Dixitque
ei rex postquam uinum biberat habundanter.
Quid petis ut detur tibi: et pro qua re postulas?
Etiam si dimidiam partem regni mei
petieris: impetrabis. Cui respondit hester.
Peticio mea et preces iste sunt. Si inueni
graciam in conspectu regis: et si regi placet
ut det michi quod postulo: et meam impleat
peticionem: ueniat rex et aman ad con
uiuium quod paraui eis: et cras regi aperiam
uoluntatem meam. Egressus est itaque illo
die aman letus et alacer. Cumque ui
disset mardocheum sedentem ante fores
palatii: et non solum non assurrexisse sibi
sed nec motum quidem de loco sessionis su
e: indignatus est ualde. Et dissimulata
ira reuersus est in domum suam: conuocauit
ad se amicos suos: et zares uxorem
suam: et exposuit illis magnitudinem di
uiciarum suarum: filiorumque turbam: et
quanta eum gloria super omnes principes et
seruos eius rex eleuasset. Et post hec
ait. Regina quoque hester nullum alium uoca
uit ad conuiuium cum rege preter me: apud
quam eciam cras cum rege pransurus sum. Et
cum hec omnia habeam: nichil me habere puto quam
diu uidero mardocheum iudeum seden
tem ante fores regias. Responderuntque
ei zares uxor eius: et ceteri amici. Iube
parari excelsam trabem habentem altitu
dinis l. cubitos: et dic mane regi ut
appendatur super eam mardocheus: et sic
ibis cum rege letus ad conuiuium. Placuit
ei consilium: et iussit excelsam parari crucem.
Noctem illam rex duxit VI
insompnem: iussitque afferri sibi hysto
rias et annales priorum temporum. Que cum
illo presente legerentur: uentum est ad eum locum
ubi scriptum erat: quomodo nunciasset mar
docheus insidias bagathan et thares
eunuchorum regem asueri iugulare.

cupientium. Quod cum audisset rex ait. Quis
pro hac fide honoris et premii mardocheus con
secutus est. Dixeruntque ei servi illius ac mi
nistri. Nichil omnino mercedis accepit. Sta
timque rex. Quis est inquit in atrio. Aman
quippe interius atrium domus regie intra
verat. ut suggereret regi. ut iuberet mar
docheum affigi patibulo quod ei fuerat
preparatum. Responderunt pueri. Aman stat
in atrio. Dixitque rex. Ingrediatur. Cum
que esset ingressus ait illi. Quid debet fieri
viro quem rex honorare desiderat.
Cogitans aman in corde suo et repu
tans quod nullum alium rex nisi se vellet
honorare respondit. Homo quem rex hono
rare cupit. debet indui vestibus regiis. et
inponi super equum qui de sella regis est. et
accipere regium dyadema super caput
suum. et primus de regis principibus ac
tyrannis teneat equum eius. et per pla
team civitatis incedens clamet et di
cat. Sic honorabitur quemcumque rex volu
erit honorare. Dixitque ei rex. Festina et
sumpta stola et equo fac ut locutus es
mardocheo iudeo qui sedet ante fores
palatii. Cave ne quicquam de his que
locutus es pretermittas. Tulit itaque
aman stolam et equum. indutumque
mardocheum in platea civitatis et
inpositum equo precedebat atque clama
bat. Hoc honore condignus est quem
rex voluerit honorare. Reversus est mar
docheus ad ianuam palatii. et aman
festinavit ire in domum suam lugens
et operto capite. Narravitque zares ux
ori sue et amicis. omnia que evenissent sibi.
Cui responderunt sapientes quos habebat
in consilio et uxor eius. Si de semine
iudeorum est mardocheus. ante quem cadere

cepisti. non poteris ei resistere. sed cades in con
spectu eius. Adhuc illis loquentibus. venerunt
eunuchi regis. et cito eum ad convivi
um quod regina paraverat pergere conpu
lerunt. Intravit itaque rex et aman. VII.
ut biberent cum regina. Dixitque ei
rex etiam in secundo die. postquam vino in
caluerat. Que est petitio tua hester
ut detur tibi. et quid vis fieri. Etiam si di
midiam regni mei partem petieris
inpetrabis. Ad quem illa respondit. Si inveni
in gratiam in oculis tuis o rex. et si tibi
placet. dona michi animam meam pro qua
rogo. et populum meum pro quo obsecro.
Traditi enim sumus ego et populus meus. ut
conteramur. iugulemur. et pereamus. Atque
utinam in servos et famulas ven
deremur. esset tolerabile malum. et gemens
tacerem. Nunc autem hostis noster est
cuius crudelitas redundat in regem.
Respondens que rex assuerus ait. Quis est
iste. et cuius potentie. ut hec audeat fa
cere. Dixitque hester. Hostis et inimicus
noster pessimus. iste est aman. Quod ille
audiens ilico obstupuit. vultum
regis ac regine ferre non sustinens.
Rex autem surrexit iratus. et de loco
convivii intravit in ortum arboribus con
situm. Aman quoque surrexit. ut rogaret
hester reginam pro anima sua. Intel
lexit enim a rege sibi paratum malum.
Qui cum reversus esset de orto nemoribus
consito. et intrasset convivii locum. reperit
aman super lectulum corruisse in quo ia
cebat hester. et ait. Etiam reginam vult
opprimere me presente in domo mea. Ne
dum verbum de ore regis exierat. et
statim operuerunt faciem eius. Dixit
que arbona unus de eunuchis qui sta

bant in vestibulo regis. Ecce lignum quod
paraverat mardocheo. qui locutus est pro
rege stat in domo aman. habens alti
tudinis .l.ta cubitos. Cui dixit rex
appendite eum in eo. Suspensus est itaque
aman in patibulo quod paraverat mar
docheo. et regis ira requievit. VIII
In die illo dedit rex assuerus
hester regine domum aman ad
versarii iudeorum. et mardocheus ingressus
est ante faciem regis. Confessa est enim ei he
ster quod esset patruus suus. Tulitque
rex anulum quem ab aman recipi
iusserat. et tradidit mardocheo. He
ster autem constituit mardocheum super do
mum suam. Nec his contenta. procidit
ad pedes eius. flevitque et locuta ad
eum oravit ut malitiam aman
agagite et machinationes eius pes
simas quas excogitaverat contra iudeos
iuberet irritas fieri. At ille ex mo
re sceptrum aureum protendit manu
quo signum clementie monstrabatur. Illa
que consurgens. stetit ante eum et ait.
Si placet regi. et si inveni gratiam coram
oculis eius. et deprecatio mea non ei vi
detur esse contraria. obsecro ut novis
epistolis veteres aman littere insidiato
ris et hostis iudeorum quibus eos in cun
ctis regis provinciis perire preceperat
corrigantur. Quomodo enim potero susti
nere necem et interfectionem populi mei. Dix
itque rex assuerus. hester regine et
mardocheo iudeo. Domum aman
concessi hester. et ipsum iussi affigi cruci
quia ausus fuit manum mittere in iudeos.
Scribite ergo iudeis sicut vobis placet
ex regis nomine. signantes litteras
anulo meo. Hec enim consuetudo erat

ut epistolis que ex regis nomine mittebantur
et illius anulo signate erant. nemo
auderet contradicere. Accersitisque scribis et libra
riis regis. erat autem tempus tertii mensis
qui appellatur siban. vicesima et
tertia illius die scripte sunt epistole ut
mardocheus voluerat ad iudeos
et ad principes. procuratoresque et iu
dices qui .c.xx.vii. provinciis ab in
dia usque ethiopiam presidebant. pro
vincie atque provincie. populo et populo.
iuxta linguas et litteras suas. et iudei
ut legere poterant et audire. Ipseque
epistole que ex regis imperio mitteban
tur. anulo illius signate sunt. et mis
se per veredarios. qui per omnes provin
cias discurrentes. veteres litteras no
vis nuntiis prevenirent. Quibus im
peravit rex ut convenirent iudeos per
singulas civitates. et in unum preciperent
congregari. ut starent pro animabus suis.
et omnes inimicos suos cum coniugibus ac
liberis. et universis domibus interficerent
atque delerent. Et constituta est per omnes
provincias una ultionis dies. id est
tertiadecima mensis duodecimi a
dar. Summaque epistole ut in omnibus hec fuit
terris ac populis qui regis assueri impe
rio subiacebant notum fieret paratos esse
iudeos ad capiendam vindictam
de hostibus suis. Egressique sunt vereda
rii. celeres nuntios perferentes. Et
edictum regis pependit in susis.
Mardocheus autem de palatio et de conspectu regis
egrediens fulgebat vestibus re
giis iacinctinis. videlicet et aerinis
coronam auream portans in capite. et
amictus pallio serico atque purpureo.
Omnisque civitas exultavit. atque

letata est. Iudeis autem nova lux oriri
visa est, gaudium, honor et tripudium.
Apud omnes populos, urbes atque provin-
cias, quocumque regis iussa venie-
bant, mira exultatio, epule atque con-
vivia, et festus dies: in tantum ut plures
alterius gentis et secte eorum religioni
et cerimoniis iungerentur. Grandis enim
cunctos iudaici nominis terror invaserat.

VIII

Igitur duodecimi mensis quem
Adar vocari ante iam diximus, tercia-
decima die, quando cunctis iudeis inter-
fectio parabatur, et hostes eorum inhi-
abant sanguini, versa vice iudei
superiores esse ceperunt, et se de adversari-
is vindicare. Congregati sunt per singulas
civitates, oppida et loca, ut extenderent
manum contra inimicos et persecutores suos.
Nullusque ausus est resistere, eo quod
omnes populos magnitudinis eorum formi-
do penetraverat. Nam et provinciarum iu-
dices et duces et procuratores omnisque
dignitas que singulis locis et operibus preerant,
extollebant iudeos timore Mar-
dochei, quem principem esse palatii et
plurimum posse cognoverant. Fama quoque
nominis eius crescebat cotidie, et per
cunctorum ora volitabat. Itaque percus-
serunt iudei inimicos suos plaga ma-
gna, et occiderunt eos, reddentes eis quod
sibi paraverant facere: in tantum ut etiam in Su-
sis quingentos viros interficerent, extra
x. filios Aman Agagite hostis iude-
orum, quorum ista sunt nomina: Pharsan-
data, et Delphon, et Esphata, et Phoroa-
ta, et Adalia, et Aridata, et Phermes-
ta, et Arisai, et Aridai, et Iezatha.
Quos cum occidissent, predas de substan-
ciis eorum tangere noluerunt. Statimque
numerus eorum qui occisi erant in Susis
ad regem relatus est. Qui dixit regine:
In urbe Susis interfecerunt iudei quin-
gentos viros, et alios x. filios Aman:
quantam putas eos exercere cedem
in universis provinciis? Quid ultra postu-
las, et quid vis ut fieri iubeam? Cui
illa respondit: Si regi placet, detur po-
testas iudeis ut sicut hodie fece-
runt in Susis, sic et cras faciant, et
x. filii Aman in patibulis suspendantur.
Precepitque rex ut ita fieret. Statimque
in Susis pependit edictum, et x. fi-
lii Aman suspensi sunt.

IX

Congregatis iudeis quartadecima
die mensis Adar, interfecti sunt
in Susis ccc. viri, nec eorum ab illis
direpta substantia est. Sed et per omnes provin-
cias que dicioni regis subiacebant,
pro animabus suis steterunt iudei, inter-
fectis hostibus ac persecutoribus suis,
in tantum ut lxx. v. milia occisorum im-
plerentur, et nullus de substantiis eorum
quicquam contingeret. Dies autem terciusde-
cimus mensis Adar unus apud omnes
interfectionis fuit, et quartodecimo die
cedere desierunt. Quem constituerunt esse
sollempnem, ut in eo omni deinceps tempore
vacarent epulis, gaudio atque convi-
viis. At hii qui in urbe Susis cedem
exercuerant, terciodecimo et quartodeci-
mo eiusdem mensis die in cede versati
sunt. Quintodecimo autem die percutere
desierunt, et idcirco eandem diem consti-
tuere sollempnem epularum atque le-
ticie. Hii vero iudei qui in oppidis
non muratis et villis morabantur,
quartumdecimum diem mensis Adar con-
viviorum et gaudii decreverunt, ita ut

exultent in eo et mittant sibi mutuo
partes epularum et ciborum. Scripsit itaque
Mardocheus omnia hec et litteris conpre-
hensa misit ad iudeos qui in omnibus
regis provinciis morabantur tam in
vicino positis quam in procul, ut quartam de-
cimam et quintam decimam diem mensis a-
dar pro festis susciperent et revertente
semper anno sollempni honore cele-
brarent, quia in ipsis diebus se ulti sunt in-
de inimicis suis et luctus atque tri-
sticia in hylaritatem gaudiumque conver-
sa sunt, essentque isti dies epularum atque le-
ticie et mitterent sibi invicem ciborum partes
et pauperibus munuscula largirentur.
Susceperuntque iudei in sollempnem ritum
cuncta que eo tempore facere ceperant et
que Mardocheus litteris facienda
mandaverat. Aman enim filius Amada-
thi stirpis Agag hostis et adversarius
iudeorum cogitavit contra iudeos malum ut
occideret illos atque deleret et misit phur
quod nostra lingua vertitur in sortem. Et postea
ingressa est Hester ad regem obsecrans
ut conatus eius litteris regis irriti fie-
rent et malum quod contra iudeos cogita-
verat reverteretur in caput eius. Denique
et ipsum et filios eius affixerunt cruci. Ex
illo tempore dies isti appellati sunt phu-
rim id est sortium eo quod phur id est sors mis-
sa in urnam fuerit. Et cuncta que gesta
sunt epistole id est libri huius volumine
continentur quaeque sustinuerunt et que dein-
ceps inmutata sunt. Susceperunt super se et
semen suum et super cunctos qui re-
ligioni eorum copulari voluerint ut
nulli liceat duos hos dies absque sol-
lempnitate transigere quos scriptura
testatur et certa expetunt tempora an-
nis sibi iugiter succedentibus. Isti sunt dies
quos nulla umquam delebit oblivio
et per singulas generationes cuncte in
toto orbe sunt provincie celebrabunt nec est
ulla civitas in qua dies phurim id est
sortium non observentur a iudeis et ab
eorum progenie que his cerimoniis obliga-
ta est. Scripseruntque Hester regina filia
Abiahel et Mardocheus iudeus etiam
secundam epistolam ut omni studio dies ista
sollempnis sanciretur in posterum. Et
miserunt ad omnes iudeos qui in c-
xxvii regis Assueri provinciis versaba-
tur ut haberent pacem et susciperent veri-
tatem, observantes dies sortium et
suo tempore cum gaudio celebrarent. Sicut
constituerunt Mardocheus et Hester et
illi observanda susceperunt a se et a
semine suo ieiunia atque clamores
et sortium dies et omnia que libri huius
qui vocatur Hester hystoria continentur.

X

Rex vero Assuerus omnem terram
et cunctas maris insulas fecit
tributarias. Cuius fortitudo et imperium
et dignitas atque sublimitas qua exalta-
vit Mardocheum scripta sunt in libris
Medorum atque Persarum et quomodo Mardocheus
iudaici generis secundus a rege Assuero fuerit
et magnus inter iudeos et acceptabilis ple-
bi fratrum suorum querens bona populo suo
et loquens ea que ad pacem sui seminis
pertinerent. Que habentur in hebreo plena fide
expressi. Hec autem que secuntur scripta reperi
in editione vulgata que grecorum lingua
et litteris continentur. Et interim post finem
libri hoc capitulum ferebatur quod iuxta consue-
tudinem nostram obelo id est veru prenota-
vimus. Dixitque Mardocheus: A deo facta sunt
ista. Recordatus sum sompnii quod vide-

tam. Hec eadem significantis. nec eorum
quicquam irritum fuit. Parvus fons
qui crevit in fluvium et in lucem solemque
conversus est et in aquas plurimas redundavit.
hester est quam rex accepit uxorem et vo
luit esse reginam. Duo autem dracones.
ego sum et aman. Gentes que convenerant
hii sunt qui delere nomen conati sunt iu
deorum. Gens autem mea israhel est. Que clama
vit ad dominum. et salvum fecit deus populum
suum. liberavitque nos de omnibus malis
et fecit signa magna atque portenta
inter gentes. Et duas sortes esse precepit
unam populi dei. alteram cunctarum gen
tium. Venit utraque sors in statutum.
ex illo iam tempore die coram deo univer
sis gentibus. Et recordatus est dominus populi
sui. ac misertus hereditatis. Et observa
buntur dies isti in mense adar. quarta
decima die eiusdem mensis cum omni studio
et gaudio in unum cetum populi congregati in
cunctas deinceps generationes populi israhel.

XI

Anno quarto regnantibus
ptolomeo et cleopatra. attule
runt dositheus. qui se sacerdotem et
leuitici generis ferebat. et ptolomeus
filius eius hanc epistolam phurim quam
dixerant interpretatum esse lisimachum
ptolomei filium in ierusalem. Hoc quoque princi
pium erat in editione vulgata. quod nec
in hebreo nec ullum apud fertur interp
tum. Anno secundo regnante artaxerse
maximo. prima die mensis nisan vi
dit sompnium mardocheus filius iairi fi
lii semei. filii cis. de tribu beniamin.
homo iudeus qui habitabat in urbe susis.
vir magnus et inter primos aule regie.
Erat autem de eo numero captivorum quos
transtulerat nabuchodonosor rex babylonis
de ierusalem. cum iechonia rege iude. Et
hoc eius sompnium fuit. Apparuerunt voces
et tumultus. et tonitrua. et terremotus. et
conturbatio super terram. Et ecce duo dra
cones magni. paratique contra se in prelium.
ad quorum clamorem cuncte concitate
sunt nationes. ut pugnarent contra gen
tem iustorum. Fuitque dies illa tenebrarum
et discriminis. tribulationis et angustie.
et ingens formido super terram. Conturba
taque est gens iustorum timentium ma
la sua et preparata ad mortem. clamave
runt quoque ad dominum. Et illis vociferantibus.
fons parvus crevit in fluvium maximum.
et in aquas plurimas redundavit. Lux
et sol ortus est et humiles exaltati sunt
et devoraverunt inclitos. Quod cum vidis
set mardocheus. et surrexisset de strato
cogitabat quid deus facere vellet. et
fixum habebat in animo scire cupiens
quid significaret sompnium.

XII

Morabatur autem eo tempore in aula
regis cum bagatha et thara
eunuchis regis. qui ianitores erant
palatii. Cumque intellexisset cogitationes
eorum. et curas diligentius pervidisset. didi
cit quod conarentur in regem artaxer
xen manus mittere. et nuntiavit super eo re
gi. Qui de utroque habita questione confes
sos duci iussit ad mortem. Rex autem quod
gestum erat scripsit in commentariis. Sed et
mardocheus rei memoriam litteris tradidit.
Preceptumque est ei a rege ut in aula palatii
moraretur datis ei pro delatione mune
ribus. Aman vero filius amadathi bu
gheus. erat gloriosissimus coram rege. et
voluit nocere mardocheo et populo eius.
pro duobus regis eunuchis qui fuerant
interfecti. Huc usque prohemium. Que sequuntur

in eo loco posita erant ubi scriptum est
in volumine. et diripuerunt bona ul-
tionis eorum que in sola vulgata edi-
tione reperimus. Epistole autem hec
exemplar fuit. XIII

Rex maximus artaxerses ab india
usque ethyopiam. c. xx. vii. pro-
vinciarum principibus et ducibus qui
eius imperio subiecti sunt salutem dicit.
Cum plurimis gentibus imperarem
et universum orbem mee ditioni sub-
iugassem. volui nequaquam abuti po-
tentie magnitudine. sed clementia
et lenitate subiectos ut absque ullo
terrore vitam silentio transigentes
optata cunctis mortalibus pace
fruerentur. Querente autem me a consilia-
riis meis quomodo hoc posset impleri
unus qui sapientia et fide ceteros precelle-
bat et erat post regem secundus aman
nomine. indicavit mihi in toto or-
be terrarum populum esse dispersum qui no-
vis uteretur legibus. et contra omnium genti-
um faciens consuetudinem regum
iussa contempneret. et universarum concor-
diam nationum sua dissensione
violaret. Quod cum didicissemus vi-
dentes unam gentem rebellem ad-
versum omne genus hominum perversis uti le-
gibus nostrisque iussionibus contraire et tur-
bare subiectarum nobis provinciarum pa-
cem atque concordiam iussimus ut quos-
cumque aman qui omnibus provinciis
prepositus est et secundus a rege et quem patris
loco colimus monstraverit cum coniu-
gibus ac liberis deleantur ab inimi-
cis. nullusque eorum misereatur quarta
decima die duodecimi mensis adar
anni presentis. ut nefarii homines
uno die ad inferos descendentes red-
dant imperio nostro pacem quam turbave-
rant. Hucusque exemplar epistole. Que
sequuntur post eum locum scripta repperi
ubi legitur. Pergensque mardocheus
fecit omnia que ei mandaverat hester. Nec
tamen habentur in hebreo. et apud nullum
penitus feruntur interpretum. Mardo-
cheus autem deprecatus est dominum memor
omnium operum eius et dixit. Domine deus rex
omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita
et non est qui tue possit resistere volunta-
ti si decreveris salvare israhel. mo-
liebantur. Tu fecisti celum et terram et
quicquid celi ambitu continetur. Dominus omni-
um es. nec est qui resistat maiestati tu-
e. Cuncta nosti et scis. quia non pro superbi-
a et contumelia et aliqua glorie cupiditate
fecerim hoc. ut non adorarem aman su-
perbissimum. Libenter enim pro salute israhel
etiam vestigia pedum eius deosculari
paratus essem. sed timui ne honorem dei
mei transferrem ad hominem. et neque
quemquam adorarem excepto deo meo. Et
nunc domine rex deus abraham miserere
populi tui. quia volunt nos inimici nostri
perdere. et hereditatem tuam delere. Ne despi-
cias partem tuam quam redemisti de
egipto. Exaudi deprecationem meam et
propitius esto sorti et funiculo heredi-
tatis tue. Et converte luctum nostrum
in gaudium ut viventes laudemus
nomen tuum domine. et ne claudas ora
te canentium. Omnis quoque israhel pari men-
te et obsecratione clamavit ad dominum
eo quod eis certa mors impenderet.

Hester quoque regina XIIII
confugit ad dominum pavens pe-
riculum quod imminebat. Cumque de-

posuissetque vestes regias, fletibus et luctui
apta indumenta suscepit, et pro ungue-
ntis variis cinere et stercore implevit
caput suum, et corpus suum humiliavit
ieiuniis. Omnia loca in quibus letari an-
te consueverat crinium laceratione conplevit.
Et deprecabatur dominum deum Israel dicens: Domine
mi qui rex noster es solus, adiuva me
solitariam, et cuius preter te nullus auxi-
liator est alius. Periculum meum in mani-
bus meis est. Audivi a patre meo quod tu
domine tulisses Israel de cunctis gentibus
et patres nostros ex omnibus retro ma-
ioribus suis, ut possideres hereditatem sem-
piternam, fecistique eis sicut locutus es.
Peccavimus in conspectu tuo, et idcirco tra-
didisti nos in manibus inimicorum nostrorum.
coluimus enim deos eorum. Iustus es domine.
Et nunc non eis sufficit quod durissima nos
opprimunt servitute, sed robur manuum
suarum idolorum potentie deputantes
volunt tua mutare promissa, et delere
hereditatem tuam, et claudere ora te
laudantium, atque extinguere gloriam
templi et altaris tui, ut aperiant ora
gentium, et laudent idolorum fortitudi-
nem, et predicent carnalem regem in sem-
piternum. Ne tradas domine sceptrum
tuum hiis qui non sunt, ne rideant ad rui-
nam nostram, sed converte consilium eorum super
eos, et eum qui in nos cepit sevire disper-
de. Memento domine et ostende te nobis in tempore
tribulationis nostre, et michi da fiduciam domine
rex deorum et universe dominator potestatis.
Tribue sermonem compositum in ore meo
in conspectu leonis, et transfer cor illius in odium
hostis nostri, ut et ipse pereat, et ceteri qui ei
consentiunt. Nos autem libera in manu tua
et adiuva me nullum aliud habentem in

auxilium nisi te domine, qui habes omnium scientiam.
et nosti quia oderim gloriam iniquorum, et
detester cubile incircumcisorum et omnis
alienigene. Tu scis necessitatem meam,
quod abhominer signum superbie et glo-
rie mee quod est super caput meum in diebus osten-
tationis mee, et detester illud quasi
pannum menstruate, et non portem in di-
ebus silentii mei, et quod non comederim
in mensa Aman, nec michi placuerit con-
vivium regis, et non biberim vinum liba-
minum; et numquam letata sit ancilla
tua, ex quo huc translata sum usque
in presentem diem, nisi in te domine deus Abraham.
Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum
qui nullam aliam spem habent, et libera
nos de manu iniquorum, et erue me de
timore meo. Hec quoque addita reperi
in editione vulgata. XV

Et mandavit ei haud dubium
quin Mardocheus Hester ut ingre-
deretur ad regem, et rogaret pro populo suo
et pro patria sua. Memor esto inquit
dierum humilitatis tue, quomodo nutri-
ta sis in manu mea, quia Aman secundus
a rege locutus est contra nos in mortem. Et tu
invoca dominum, et loquere regi pro nobis, et libera
nos de morte. Hec non et ista que subdita sunt
in editione sua vulgata reperi. Die
autem tertio deposuit vestimenta ornatus
sui, et circumdata est gloria sua. Cumque
regio fulgeret habitu, et invocasset omnium rec-
torem et salvatorem deum, assumpsit
duas famulas. Et super unam quidem in-
nitebatur quasi pre deliciis et nimia teneri-
tudine corpus suum ferre non sustinens.
Altera autem famularum sequebatur dominam,
defluentia in humum indumenta sustentans.
Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, et

gnantis ac nitentibus oculis iram cela
bat animi et nimio timore contractum.
Ingressa igitur cuncta per ordinem hostia
stetit contra regem ubi ille residebat super
solium regni sui indutus vestibus re
giis auroque fulgens et pretiosis lapi
dibus eratque terribilis aspectu. Cumque
elevasset faciem et ardentibus oculis fu
rorem pectoris indicasset, regina cor
ruit et in pallorem colore mutato
lassum super ancillam reclinavit ca
put. Convertitque deus spiritum regis in man
suetudinem, et festinus ac metu
ens exilivit de solio. Et sustentans
eam ulnis suis donec rediret ad se
his verbis blandiebatur. Quid habes
hester? Ego sum frater tuus. Noli me
tuere, non morieris. Non enim pro te sed pro
omnibus haec lex constituta est. Accede igitur et
tange sceptrum. Cumque illa taceret
tulit auream virgam et posuit super
collum eius et osculatus est eam. Et ait
Cur mihi non loqueris? Que respondit. Vi
di te domine quasi angelum dei, et conturbatum est
cor meum pre timore glorie tue. Valde enim
mirabilis es domine, et facies tua plena
est gratiarum. Cumque loqueretur rursus cor
ruit et pene exanimata est. Rex autem
turbabatur et omnes ministri eius con
solabantur eam. Exemplar epistole re
gis artaxersis quam pro iudeis ad tota
regni sui provincias misit. quod et ipsum
hebraico volumine non habetur. XVI

Rex magnus artaxerses ab india
usque ethiopiam. c. xxvii. pro
vinciarum ducibus ac principibus qui nostre
obediunt iussioni salutem dicit. Mul
ti bonitate principum et honore qui
in eos collatus est abusi sunt in superbiam
et non solum subiectos regibus nituntur oppri
mere, sed datam sibi gloriam non ferentes
in ipsos qui dederunt moliuntur insidias.
Nec contenti sunt gratias non agere benefi
ciis et humanitatis in se iura vio
lare, sed dei quoque cuncta cernentis
arbitrantur se fugere posse sententiam. Et
in tantum vesanie proruperunt ut eos qui cre
dita sibi officia diligenter observant,
et ita cuncta agunt ut omni laude
sint digni, mendaciorum cuniculis conen
tur subvertere, dum aures principum
simplices et ex sua natura alios e
stimantes callida fraude decipiunt.
Que res et ex veteribus probatur historiis,
et ex his que geruntur cotidie, quomodo malis
quorundam suggestionibus regum stu
dia depraventur. Unde providendum est
paci omnium provinciarum. Nec putare de
betis si diversa iubeamus ex animi
nostri venire levitate, sed pro qualitate
et necessitate temporum ut rei publice
poscit utilitas ferre sententiam. Et ut
manifestius quod dicimus intelligatis.
Aman filius amadathi et animo et gente
macedo, alienusque a persarum sanguine
et pietatem nostram sua crudelitate con
maculans, peregrinus susceptus a nobis
est, et tantam in se expertus est humani
tatem ut pater noster vocaretur et ut adora
retur ab omnibus post regem secundus. Qui
in tantum arrogantie tumore sublatus est ut
regno nos privare niteretur et spiritu. Nam
mardocheum cuius fide et beneficiis vi
vimus, et consortem regni nostri hester
cum omni gente sua novis quibusdam at
que inauditis machinis expetivit in mor
tem, hoc cogitans ut illis interfectis insidi
aretur nostre solitudini et regnum persarum

inscribere ad macedones. Nos autem a pes-
simo mortalium iudeos neci desti-
natos in nulla penitus culpa reperimus,
sed e contrario iustis utentes legibus et
filios altissimi et maximi semperque vi-
ventis dei, cuius beneficio et patribus nostris
et nobis regnum est traditum et usque ho-
die custoditur. Unde eas litteras quas sub
nomine nostro ille direxerat sciatis esse
irritas. Pro quo scelere ante portas hu-
ius urbis id est susis et ipse qui machinatus
est et omnis cognatio eius pendet in
patibulis, non nobis sed deo ei reddente quod
meruit. Hoc autem edictum quod nunc
mittimus in cunctis urbibus proponatur,
ut liceat iudeis uti legibus suis. Quibus
debetis esse adminiculo, ut eos qui se
ad necem eorum paraverant possint interficere
tertiadecima die mensis duodecimi
qui vocatur adar. Hanc enim diem deus omnipotens
meroris et luctus eis vertit in gau-
dium. Unde et vos inter ceteros festos dies
hanc habetote diem et celebrate eam
cum omni letitia, ut et in posterum cognoscant
omnes qui fideliter persis obediunt dignam
pro fide recipere mercedem, qui autem insidia-
tur regno perire pro scelere. Omnis autem
provincia et civitas que noluit sollempni-
tatis huius esse particeps gladio et igne
pereat et sic deleatur ut non solum hominibus sed
etiam bestiis invia sit in sempiternum
pro exemplo contemptus et inobedientie.
Explicit liber Hester. Incipit prologus in
librum Iob.
In terra hus quidem ha-
bitasse Iob. Vixit idem in finibus idu-
mee et arabie, et erat ei antea nomen
iobab, et accepta uxore arabissa ge-
nuit filium cui nomen erat ennon. E-
rat autem ipse filius quidem zare de esau
filiis filius, de matre vero bosra, ita ut
sit quintus ab abraham. Et hii sunt reges
qui regnaverunt in edom, in qua et ipse
regnavit regione. Primus balac fi-
lius beor, et nomen civitatis eius
dennaba. Post autem balach iobab
qui vocatur iob. Post hunc chusam
qui erat dux ex themanorum regione.
Post hunc adad filius bedad qui ex-
cidit madian in campo moab, et nomen
civitatis eius cetheam. Item alius
prologus.
Cogor per sin-
gulos scrip-
ture divine
libros adver-
sariorum respondere
maledictis
qui interpretati-
onem meam reprehensionem lxx in-
terpretum criminantur, quasi non et apud grecos
aquila, simachus et theodotion vel ver-
bum e verbo vel sensum e sensu vel ex
utroque commixtum et medie temperati
genus translationis expresserint, et o-
mnia instrumenti volumina orige-
nes obelis asteriscisque distinxerit, quos
vel additos vel de theodotione sump-
tos translationi antique inseruit,
probans defuisse quod additum est. Di-
scant igitur obtrectatores mei recipere
in toto quod in partibus susceperunt, aut
interpretationem meam cum asteriscis suis
radere. Neque enim fieri potest ut quos plura
intermisisse cognoverint non eosdem etiam
in quibusdam errasse fateantur, precipu-
e in iob. Cui si ea que sub asteriscis addi-
ta sunt subtraxeris, pars maxima
voluminis detruncabitur, et hoc duntaxat